JAHRESBERICHT

des

k. k. Staats-Gymnasiums

in

BIELITZ

für das Schuljahr 1907/1908.

INHALT:



BIELITZ 1908.
Verlag des k. k. Staatsgymnasiums.

Druck von Johann & Carl Handel in Bielitz.

Quaestiones Terentianae.

Von

ALOIS PAPLA, k. k. Gymnasiallehrer.

In annalibus „Revue de philologie de littérature et d'histoire anciennes", vol. XXV., Louis Havet de Terentii Phormione disseruit; cuius rationes in emendandis et critice tractandis versibus adhibitae utrum recte sint necne, ostendere mihi proposui.

Jam in initio mihi in universum dicere liceat Havetium magno arbitrio critica ratione usum esse; itaque paene ubique eius emendationes ut arbitrio tantum et voluntate ellicitas abicere coactus sum.

Sed iam pergamus ad rem tractandam:

60.

Quoius tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere ei verba credere?

Havetius verborum ordinem immutare vult, quod in hoc versu nulla recta caesura est. Quare veri simile esse Terentium scripsisse:

Cuius tu fidem perspexis in pecunia.

Terentium in versu senario plerumque et caesura post tertiam thesin, i. e. semiquinaria (πενθημιμερής) et caesura semiseptenaria (ἑφθημιμερής) usum esse certe constat. Sunt autem nonnulli versus, qui his caesuris carent; quod si ita est, versus aliam praebet structuram. Nam post secundum pedem aut post secundam thesin et quartum pedem vox finitur, ut videmus in v. 60 et v. 454:

Quot homines, tot sententiae; suos quoique mos.

v. 457:

Ego amplius deliberandum censeo.

Ouód autem Havet omnino non animadvertisse videtur. Immo fieri potuit, ut Terentius consilio verum ordinem versuum sequentium neglegeret et sermoni cotidiano familiarique locum quendam concederet. Parum etiam probabile est in uno eodemque versu ordinem verborum immutatum et pro arch. forma perspexis „perspexeris" scriptum esse.

Si Terentius

„cuius tu fidem perspexis in pecunia"

ut H. vult, scripsisset, certe versus rectam caesuram continens ita servatus esset; nam nullo modo forma „perspexis" offendere potuit; tales priscae Latinitatis formas apud Terentium saepius legimus: appellassis Phorm. 742; ausim Eun. 884 et 904: faxo Andr. 854, Eun. 285, 663, Haut. 341, Phorm. 308, 1028, 1055, Ad. 209, 847; faxim Ad. 887, 896; faxis Andr. 753, Haut. 187; faxit Haut. 198, Phorm. 554; faxint Haut. 161, Hec. 102, 354; excessis Andr. 760. Qui versus scriptorem vel grammaticum veterem non offenderunt, in nostro versu solo illud „consciement ou non" factum esse putat H. Quod argumentum non intellego.

Quod ad stilum pertinet, ne id quidem momenti mihi esse videtur in hoc versu verbum „perspicere" seiunctum esse a re obiecta „fidem"; id plane parum poetam respexisse opinor.

Quae cum ita sint, haud crediderim Terentium aliter scripsisse atque omnibus codicibus traditur; itaque lectionem codicibus servatam recipiam.

73—78.

Lectio cod. Bembini:

71 Geta: Abeuntes ambo hic tum senes me filiis
Relinquont quasi magistrum. Davus: O Geta, provinciam
73 Cepisti duram; (Geta) mi usus venit, hoc scio;
Memini relinqui me deo irato meo.
75 Coepi adversari primo: quid verbis opust?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
Geta: Venere in mentem mi istaec. Da. Namque inscitiast
Advorsum stimulum calces. Ge. Coepi eis omnia
Facere, obsequi quae vellent. Da. Scisti uti foro.
Geta: Noster mali nil quicquam primo; hic Phaedria
Continuo quandam nactus est puellulam.

In versu 73 Umpfenbachius hoc modo interpungit:
Mihiusus venit, hoc scio, Dziatzko et Fleckeisen: Mi usus venit hoc scio:
Hauler: Mi usus venit, hoc scio; Qui viri docti iure pronomen „hoc" referunt ad verba praecedentia. Contra Havetius interpungit „mi usus venit. Hoc scio," et dicit (pag. 94): „Au vers 73, j'ai rectifié la ponctuation avant et après „hoc scio", qui est nécessairement une annonce de ce qui suit et non un rappel de ce qui précède. Il est prodigieux à quel point les modernes négligent le sens propre des démonstratifs."

Dubium esse non potest, quin „hoc" ad antecedentia referendum sit, quod pronomen simili modo usurpatur in Andriae versu 387:

Nempe hoc sic esse opinor:

ubi „hoc" utique ad antecedentia referri potest. Neque manifestum est, cur ipsum illud „memini" verbis „hoc scio" augendum sit. Qua de causa ab interpunctione Hauleri nullo modo recedamus. Paulo memorabilius et magis dignum, quod deliberetur, mihi Havetii propositum videtur de divisione versuum 73—78, qui a viris doctis in maximam dubitationem vocantur. Miror equidem, quod omnes viri docti, qui Bembinum permagni aestimant, huius optimi codicis lectionem versuum 73—78 tenere non student.

Primum Bembinum in eo sequor, ut versus 73—76 totos Davo tribuam, tum versum 77 „venere . . . istaec" a Geta dictum putem, deinde verba „namque . . . calces" Davus loquatur, denique Geta postrema verba „coepi eis".

Quod primum attinet, ut versus 73—76 a Davo memorentur, summis rebus cum Havetio consentio, cuius verba expressa hic enarrem: „La clé de toutes ces difficultés est, je crois, le fait que les vers 73—76 appartiennent tout entiers á Dave, comme le veut le Bembinus. C'est Dave qui a une expérience acquise et qui dit, en connaissance de cause, „provinciam cepisti duram"; c'est lui qui a souffert de la confiance de son vieux maître (memini relinqui me . . .); c'est lui qui a résisté d'abord aux fredaines d'un jeune homme (coepi adversari . . .); c'est lui qui a été bien sot d'agir en esclave fidèle (seni fidelis dum sum)." Praeterea accedit, quod adhuc omissum est: coepi in v. 75 et v. 78.

Primum sententiarum connexum secundum codicem Bembinum constituam. Davus loquitur: Provinciam cepisti duram, mihi usus venit, nam ipse, fidelis servus domini, filio eius difficultates paravi ob eamque causam scapulas perdidi. Geta: Venere in mentem istaec, itaque adulescentulis mihi commissis omnia facere coepi. Huic sententiae Getae Davus, qui iterum atque saepius locos communes et proverbia frequentat, sententiam vulgarem adiungit „namque . . . calces".

Sin lectione Bembini neglecta versus 73—76 Getae attribuimus, sententia loci ita nobis intellegenda est, ut Geta ab initio difficultates habuerit cum filio, postea autem concesserit. Qua re probata in versu 78 apud verbum „coepi" utique verbum „postea" exspectamus, quod deest. Praeterea ex sequentibus manifestum fit Getam nullo modo difficultates praebuisse, cf. v. 87. Quam ob rem Bembini lectionem recipiam et gaudeo, quod H. verbis „on voit . . . . qu'en cette matière la critique peut être tout á fait conservatrice" assentiri possum. Ita etiam numerus singularis in v. 76 „seni" nos non offendit. Pronomen „istaec" autem non solum interpretandum est verbo „scapulae", sed omnino tota sententia praecedente „scapulas perdidi", quibus de causis „istaec" neutrum pluralis quam femininum intellegere malumus. Quibus rebus constitutis contenti esse debemus, cum hoc modo lectionem codicis Bembini, quam ceteris locis semper praeferimus, tenere possimus.

Quod autem porro proposuit Havetius, ut in v. 78 pro „eis" libris tradito „ego" scribatur, ut contrarium verbi coepi in v. 75 etiam specie perspiciatur, contemnemus ut omnia, quae postea inveniemus Havetii postulata, quibus semper artificiosam orationis structuram investigare et emendare studet.

109, 179.

Ille, qui illam amabat fidicinam, tantum modo
‚Satis' inquit ‚scitast'; noster vero . . . Da. Jam scio:

In versu 109 Havetius pronomine „illam" offenditur, „car il attire indûment l'attention sur la musicienne, dont la personne n'a ici aucune importance." Valde autem dubito, an hoc pronomine posito animus nimis in citharistriam intendatur. Iteratio eiusdem pronominis „ille" certo annominatio est a Terentio concilio adhibita. Etiam versibus, qui secuntur puellam eodem pronomine „illa" significari videmus (vv. 113, 114, 118.) Geta narrat se et dominum cotidie citharistriam subsequi, se in tonstrina semper expectare, dum puella domo adversa egressa sit. Irritatus ergo servus eam vocat „illam", quamquam ex nostra opinione potius pronomen „istam" exspectamus. Sed apte ea re demonstratur pronomen aliquod poni necesse fuisse; qua de causa non habemus, cur cum H. pronomen „illam" eiciendum esse putemus. Ipse H. difficultatem, quam coniectura effecit, sensit, cum explicationem in ratione metrica quaerat, quam haud facile intellegendam omnino pluribus exemplis probari oporteat.

Eandem difficultatem H. in emendando versu 179 sensit, cum explicationem in ratione metrica prorsus novam quaerat, quam ob rem lectionem traditam recipiendam esse puto:

Nullus es, Geta, nisi iam aliquod tibi consilium celere reperis.

Quem versum Havetius ita emendare vult:

Nullus es, Geta, nisi (si) iam aliquod tibi consilium celere reperis.

164.

Aliis quia defit, quod amant, aegrest; tibi quia superest dolet:
Amore abundas, Antipho.
164. Nam tua quidem hercle certo vita haec expetenda optandaque est.
Ita me di bene ament, ut mihi liceat tam diu quod amo frui.
Jam depecisci morte cupio:

Ad quos versus hoc solum recte H. dixisse videtur: Ce passage, ainsi qu'une demi-douzaine de vers encore, roule sur une idée fondamentale, la comparaison entre le sort des deux jeunes gens. Antiphon se plaint: combien son cousin aurait plus le droit de se plaindre!"

Priusquam Havetii deliberationem accuratius perquiram, breviter sententiarum ordinem, qui nobis opinione non praesumpta legentibus offertur quemque optimis codicibus traditum omnes editores consensu probaverunt, explicare mihi in animo est.

Antipho cum Phaedriae consobrino queritur, qui, „non intellego", inquit, „te adeo infelicem esse. Alii homines dolent, quod amare non possunt, tu amore abundas, id, quod omnes homines sibi optant, nam qualem tu geris vitam, maxime expetenda est." Particula „nam" explicatur sententia a Terentio praetermissa, cum iam versu 162 aliquam partem adumbrata sit. Quo modo mea ex sententia hoc loco „nam" explicatur, quod H. mutare vult. Item in locutione „tua vita haec" non necessario H. offenditur: demonstrativum „haec" hoc loco nullo modo alteram monstrat personam, sed vitam pulchram significat et beatam — ut Phaedria demonstrat in v. 162 —, quae expetenda et optanda sit.
Quae cum ita sint, Havetii sententia refutatur, qui pro „nam" in textum recipit „minus" argumenta fingens haec:

C'est „nam", je crois, qui est le siège de la faute. Remplaçons, ce monosyllabe par le comparatif minus, et il n'y a plus de fausse apparence de raisonnement. „Amore abundas", qui marqe la fin du canticum libre, et „minus", qui est le premier mot des octonaires Κατὰ στίχον, appartiennent á des propositions indépendantes l'une de l'autre. „Tua", la vie d'Antiphon, s'oppose enfin á „vita haec", la vie de son cousin. Et l'idée de comparaison entre les deux vies domine le vers 164, comme elle domine tout le morceau. H. igitur pro „nam" ponit „minus"; tua est abl. comp. et contrarium est verbis „vita haec." Itaque „avec empressement" lectionem secutus librorum D, G, Donati [1]) scribit:

Minus tua quidem hercle vita certe haec expetenda optandaque est.

Cuius emendationis summa est haec: Minus tua vita haec— id est mea — expetenda est, quod per se satis claram et probabilem exhibet sententiam, minime autem ex poetae verbis sumptam, sed. H. ex sua libidine versu composito poetae eam supposuit. Quare eodem studio atque ardore, quo incitatus H. suam versus formam legit, nos potius, quam optimi praebent formam libri, tenebimus atque servabimus:

Nam tua quidem hercle certo vita haec expetenda optandaque est.

[1]) qui una verba „certo vita" transponunt in „vita certo." Quae varia lectio codicum non tanti aestimanda est, ut aliorum librorum lectionem mutare nos oporteat. Nam talis facillima transpositio saepissime et paene in omnibus codicibus invenitur.

145—146, 502—503.

Ex ratione, qua H. versus 84—86 et 145—146 tractavit, clare intellegitur hunc virum doctum contra omnem doctrinam rationemque scientiarum agere.

Lectio libris traditur haec:

Da. Quid paedagogus ille, qui citharistriam.
Quid rei gerit? Ge. Sic, tenuiter. Da. Non multum habet,
Quod det, fortasse? Ge. Immo nil nisi spem meram.

In versu 146 legimus „Immo nil . . . meram", omissa voce „habet." Hiatum post vocabulum „fortasse" in thesi positum personae mutatione excusari optime ostendit Hauler. [1])

Havetius autem lectionem apud Nonium, p. 344, traditam tenet: nihil habet nisi spem meram. Quam lectionemen et Fleckeisenius [2]) in editionem suam recepit. Sed iam Hauler aptissime animadvertit verbum „habet" perfacile a quodam grammatico addi potuisse, si omisimus E. Bartels [3]) corruptionem textus Noniani per glossas eiusque grammatici socordiam in alienis scriptoribus laudandis demonstravisse, ut nos quidem non intellegamus, cur H. eam lectionem rursus praetulerit. Mihi quidem praeterea Nonius consilio „habet" inseruisse videtur, cum formam versus „nil nisi spem meram" durius et acerbius dictam esse putavisset.

Verbo „habet" autem addito H. numeros versus corrupit, cuius restituendi causa pro longiore „fortasse" monosyllabum illud „fors" coniecit. Sed „fortasse" est lectio difficilior codicibus tradita, quae nobis tenenda est, nisi gravissimis causis eam mutare cogimur.

Item offenditur H. verbo „habet in v. 145, quod cum voce „adhuc" mutavit, quam ab initio hic scriptam fuisse putat, in cuius locum „habet" quasi glossa irrepserit. Simili modo explicat ‚fortasse' ut glossam positam esse pro, ‚fors'. Qui ita ex arbitrio suo ratione critica utitur, certo omnes versus ad suam voluntatem fingere potest.

Ad quas coniecturas Havet adductus est, quod Phaedriae inopia pecuniae iam versu 84 dilucide commemorata est, quam ob rem eandem inopiam iterum in nostro versu enarrare necesse non esse H. putat. Quae fuit causa, quare Schubert [4]) versus 145—146 eiecit. Sed iam Dziatzko recte id monuit poetam simplici et naturali modo transitum facere ad patrem Phaedriae. Geta, quae cum Antiphone egerit, Davo exponit, per quem interrogantem transitus optime aptissimeque fit ad sequentia. Quae Havetii coniectura, quamquam splendida et ingeniosissima sententiam loci sine dubio clarius exprimit, tamen nullo modo probari potest, quam ob rem lectionem traditam, quae plane perspicuum praebet sensum, tenebimus.

Simili modo versus 502-503 corruptos esse H. putat, quos ita emendare conatus est:

M i q u e i l l e a l i a c u m occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse obiectum malum! — Quid istuc est autem Phaedria?

Quamquam concedo coniecturam illius viri doctissimi ingeniosissimam esse, tamen quam Hauler in editione sua praebet versus formam recipiendam esse puto, quod et sententia versus satis clare exprimitur et haec lectio

---

[1]) cf. E. Hauler in Phormionis editione p ag. 95.
[2]) P. Terenti Afri comoediae. rec. A. Fleckeisen, Lipsiae 1898, Teubner.
[3]) E. Bartels, diss. Argent. IX., 43.
[4]) O. Schubert, Symb. ad. Ter. emend., p. 14.

multo minus recedit a lectione tradita. Itaque cum Haulerio legimus:

Atque Antipho alia quom occupatus esset sollicitudine
Tum hoc esse mi obiectum malum. An. Ah, quid istuc est autem Phaedria?

175—176.

At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phaedria,
Quoi de integro est potestas etiam consulendi, quid velis:
Retinere amare amittere; ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mihi sit amittendi nec retinendi copia.

Retinere, amare, amittere in omnibus est libris manu scriptis idemque legisse apparet Donatum, cum scribat: „Quid velis, retinere, amare, amittere, an coniuncte legendum est quid velis retinere, ut duo sint amare, amittere, quia et infra duo reddit ut neque mihi sit eius amittendi neque retinendi copia.“ Eugraphi interpretationem (utrum velit mittere an vero retinere) secutus Umpfenbachius scripsit „retinere an vero amittere“, Bentleius coniecit „retinere amare an mittere“. „Retinere amorem an mittere“ Bothius conicere vult, quam coniecturam in editione altera probavit Dziatzko, qui ipse in ed. prima „eam anne amittere“ scripsit. Ut Goldbacher (Wiener Studien VII., p. 163) ostendit pro „amare“ facile scribi potest „amorē“, quae coniectura sola proxime ad librorum scripturam accedere videtur. Brugmann pro amare „an a te“ coniecit, quam coniecturam Fleckeisen in ed. sua secutus est et Havet hoc discrimine probat, quod pro „an a te“ ANAPSTE scribere vult. AN autem mutatum esse dicit in AM „par anticipation sur le mot suivant, puis AMAPSTE a été, tant bien que mal, converti en un mot latin qui semblât permettre une construction.“ Neque hac coniectura textus plane sanatur.

Quod autem alii viri docti omnibus his coniecturis lectionem codicibus servatam proponunt, Havet hoc solum opponit: „ce qui prouve que l'esprit a un faible pour l'absurde.“ Si quis lectionem codicum ad sententiam plane accommodatam improbet, necesse est eum causas rationesque proferre quare coniecturas praeferat. Recte ergo lectio „retinere, amare, amittere“ ab Haulero aliisque viris doctis probatur, qui id esse putant genus quoddam vulgare. [1]) Skutsch confert Plaut. Bacch. 158: Hic vereri perdidit. Ita et Spengel (Burs. vol. 68, p. 190): Es ist eine zweifache Erklärung möglich, entweder amare, gleichbedeutend mit amorem als Obj. zu retinere u. amittere zu nehmen nach Analogie von mitte amare, oder amare dem Inf. retinere gleichstehend zu fassen, d. h. aut eam retinere atque amare aut eam amittere, so daß der Dichter im ersten Gliede zwei Verba wählte, um durch Beifügung des amare einen Gleichklang mit amittere zu erhalten.

209.

Ge. Hoc nihil est, Phaedria ilicet.
Quid hic conterimus operam frustra? Quin abeo? Ph. Et quidem ego? An Obsecro.

„Je ne vois pas du tout pourquoi Géta poserait à Phédria la question Quin abeo? „Nullo modo autem Geta Phaedriam interrogat sed se ipsum. Licet „quin abeo“ adhortationem contineat, tamen hoc enuntiatum vim inter-

---

[1]) Kauer (Wiener Studien, XXII, p. 100): In der Erklärung Haulers möchte ich noch hinzufügen, daß amare erklärend und steigernd zu retinere hinzutritt, daher die Pause zwischen den beiden, dann abermals nach einer Pause die zweite Möglichkeit amittere folgt: Bei dir zu halten — der Liebe zu genießen — sie wegzuschicken.

rogationis habet signoque interrogativo exornandum est. Potius Havetii sententiam sequar, qui post „et quidem ego“ punctum ponere vult, quoniam vis interrogativa iam deminuta esse mihi videtur.

232.

De grammatica difficultate, quam hic statuit Havet, ne unum quidem verbum mihi dicendum est, cum notissimum sit priscos comicos poetas sicut vulgaris sermonis scriptores persaepe laxiore dicendi consuetudine plebeia usos accusativum subiecti pronominalem omittere imprimis, si subiectum ex antecedentibus facile suppletur neque quisquam sententiam male intellegit. H. autem idcirco tantum hanc difficultatem investigare videtur, quia sententiae favet, qua omnes versuum series Terentii summa arte et diligentia compositas esse putat, ut Madvig, Conrad, Fleckeisen. Qua sententia commotus Havet lectionem traditam minime veri similem esse arbitratur, cum versuum forma arte composita postuletur, ut et parva series eiusdem generis versuum totam sententiam amplectatur neque eam sententiam alterius generis versibus porro duci liceat.

Talem severam in componendis versibus legem apud comicos poetas non statuere debemus neque postulare, ut diligentissime leges logicas adhibeant.

Satis multos versus proferre possumus, ubi sententia versu trochaico septenario incepta non absolvitur sed alterius generis versibus porro ducitur. Cf. Eun. 366—367:

Quid ita? Ch. Rogitas? summa forma semper conservam domi
Videbit, conloquetur, aderit una in unis aedibus;

Cf. et Eun. 208–209, 550-551, 645–646, Andr. 649-650.

Propter postulatum suum grammaticam difficultatem H. emendare studet plane innecessaria coniectura „nec meum (eum)“, quae palaeographica ratione facillime quidem explicatur. Itaque versum iambicum octonarium effecit:

Nec m(eum) eum imperium (ac mitto imperium), non simultatem meam.

Ego quidem demonstrasse me puto, nos non habere, cur a lectione tradita recedamus, primum quod lectio una eademque sine varietate tradita est — iam Cicero ita laudat ad Att. II. 19, 1 —, tum cum omissio pronominis nihil insoliti habeat, denique cum Havetii cogitatio de versuum formis cum sententiis congruentibus abicienda sit; quae cum ita sint, cum codicibus scribi oportet:

Nec meum imperium—ac mitto imperium — non simultatem meam.

244.

Aut fili peccatum aut uxoris mortem aut morbum filiae.

Incommodorum, quae patrem redientem meditari oportet, „ut ne quid animo sit novom“ Demipho memorat filii peccatum, uxoris mortem, morbum filiae. Sed „pourquoi la femme est-elle morte plutôt que malade, la fille malade plutôt que morte?“ Miror, quo studio H. difficultates quaerat, ubi non sunt quaerendae. Demipho modo cogitat de casibus, qui patri familiae accidere possint, minus cogitat de iacturis aliisve detrimentis; quare neque de incendio loquitur neque de inundatione. Itaque tres casus nominantur neque poeta figuram gradationis adhibet. Sententia tota perspicua est neque quidquam habemus, cur vocem „morbum“ substituamus voce „maculam“,

etiamsi H. putat puellis virginibusque Atheniensium aliud periculum cavendum fuisse atque morbum. Omnes codices exhibent „morbum“, quae vox eo magis recipienda est, quod iam Cic. [1]) aetate ita legebatur. Sin H. suae coniecturae profert testamentum Molieri fabulam „le capin“, nihil valet ad nostrum locum, cum ille poeta sine dubio de Parisinis neque de Atheniensibus rebus cogitaverit.

246.

Ouam ob rem omnis, quom secundae res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant, (:)
Pericla damna exsilia: peregre rediens semper cogitet
Aut fili peccatum aut uxoris mortem aut morbum filiae,
Communia esse haec, fieri posse, ut ne quid animo sit novom;
246 Quidquid praeter spem eveniet, omne id deputare esse in lucro.
250 . . . . . horum nil quicquam accidet animo novom
Quidquid praeter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.

Quod primum ad interpunctionem horum versuum pertinet, omnes fere editores aliter interpunxerunt. H. quibusdam omissis Umpfenbachii scripturam sequitur. Alia ratione utitur Dziatzko, alia Fleckeisen, alia Hauler, a cuius interpunctione maxime H. abhorret. In v. 242 post verbum „ferant“ H. cum Umpf. punctum ponit, Hauler commate interpungit, ita et Fleckeisen. Ego quidem secundum Haulerum comma vel colon ponere velim, cum mihi accomodatius videtur obiecta „pericla, damna, exsilia,“ quae „aerumnam“ accuratius explicant, ad „omnis“ referre; post „ferant“ autem punctum ponere necessarium non puto, cum participium „rediens“ pro substantivo usurpatum nos offendere non debeat, ut Hauler ostendit in ed. sua ad Phorm. versum 24. Simili modo Terentius participia saepe adhibuit. Cf. Phorm. 756: quo modo hanc amans habere posset; Andr. 76: Sed postquam amans accessit pretium pollicens; Andr. 218: Nam inceptio est amentium, haud amantium; Andr. 555: Amantium irae amoris integratiost.

Deinde cum enuntiatum finale „ut ne quid animo sit novom“ a verbo „cogitet“ in versu 243 pendeat, post vocem „filiae“ nihil nisi comma ponemus.

Versu 246 multis de causis H. offenditur. Recte quidem H. vidit infinitivum necesse esse a verbo finito „oportet“ pendere. Qua re probata cum is infinitivus cum inf. „meditari“ pariter coniungatur, H. hoc fieri non posse ratus, prius id cogitavit, ut in hoc versu „eveniat“ cum verbo „eveniet“ et „deputare“ verbo „debutabo“ mutaret. Postea autem totum versum eicere maluit hoc argumento prolato: Le vers 246 ne sert à rien dans la bouche du vieillard; il jure même avec le reste de ses paroles, car il ne correspond pas au même état d'âme. Le vieillard n'est capable en ce moment ni de plaisanterie ni même d'enjouement. Quam argumentationem H. sequi non possum. Nam mihi ille versus non, ut H. arbitratur, a ceteris plane abhorrere videtur; haec enim verba senis iam in universum spectant et versus 246 ad praecedentem sententiam explendam etiam necessarius mihi videtur. Senex dicit omnia mala communia esse et fieri posse; homini omnia mala expectanda esse, „ne quid animo sit novom“, sin contra opinionem quid acciderit bonum hoc ei in lucro esse. Ubi hic H. facetias quaesiverit, nescio. Sententia

[1]) Cic. Tusc. III, 30.

huius versus plane in totius sermonis deliberationem quadrare iamque complere mihi videtur neque referendus est ad gravitatem et severitatem orationis. Qua explicatione probata versum eici non oportet. Sed ea de causa H. talem emendandi rationem instituisse videtur, quod iam supra demonstravimus, ut poeta perfectissima sententiarum connexus arte utatur, eum postulare.

Commemorationem inopinatae rei in v. 239 (praeter spem) iterari atque ad finem perduci vocabulo „novom“ in v. 245: le cycle de sa réflexion est donc terminé, de sorte que le v. 246 serait choquant, même s'il n'était pas disparate avec le reste, par le seul fait qu'il forme „rallonge“!

Videmus quantam vim et violentiam viri docti, qui huic studio interpretandi favent, in difficultatibus criticis et exegeticis arbitrio suo adhibeant. Omissione v. 246 autem, opinor, parodia, ut ita dicam, qua servus verba senis irridet atque illudit, maxime imminui videtur. Nam illud ipsum, ut servus initio singula quaedam senis verba in suo sermone repetat, denique autem eodem versu utatur, quo senex dicendi finem fecit, totum maximum mihi effectum et vim praestare videtur.

Quod ad locum Ciceronis (Tusc. III. 30) pertinet, qui illos versus laudat:

Communia esse haec ne quid horum umquam accidat animo novum;
Quicquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro,

iam H. recte intellexit versus 245 et 250 in unum contractos esse, id quod etiam Schmidt in Herm. vol. VIII, p. 284 seqq. attigit:

245 communia esse haec, fieri posse, ut ne quid animo sit novom
250 Opus ruri faciundum: horum nil quicquam accidet animo novom.

Ut rationem, qua versus 246 ortus sit, explicet, H. simili confusione scribam commotum esse, ut versum 245 versu 251 continuaret, probabilem facit. Quae quominus fiant, nihil impedit. Sed minime veri similis est talis error, quod scriba una versum mutavisset. Ceterum mihi illud quoque non praetereundum est, vix cuiquam credibile esse hunc errorem ex Ciceronis Tusculanis solis in omnes Terentii fabularum codices irrepsisse.

249.

Propter omissam solitam caesuram Barth [1] cum codice γ legit:
Molendum usque in pistrino erit plorandum habendae compedes.
Dziatzko scribit:
Molendumst, vapulandum in pistrino, usque habendae compedes.
In codice Bemb. haec lectio exhibetur:

Molendum esse in pistrino vapulandum habendae compedes.

Sed Kauer supra esse animadvertit „usque“, quam vocem etiam Mon. praebet. Quod verbum Umpf. cum Haulero recepit, qui viri docti ita legunt:

Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes.

Recte adnotat Havet: La leçon à retenir est certainement „usque“, qui ne peut être attribué ni à un lapsus de copiste, ni, semble-t-il, à une interpolation de reviseur. On peut donc, á mon sens, considérer comme certain qu'une leçon courante dans l'antiquité était „Molendum usque in pistrino vapulandum“ . . . Il n'y avait là que des nominatifs, en apposition à „incommoda“. Crederes fore, ut H. in hac lectione acquiesceret, praesertim

[1]) P. Barth, De infinit. ap. scaen. poet. lat. usu (diss. inaug. Lips. 1881), p. 31.

cum Hauler tam graves causas summi momenti protulerit. [1]) Minime! Nam lectionem falsam esse dicit et versus sententiam deficere. „A quoi peut servir „in pistrino“ après „molendum“? C'est au moulin qu'on moud, les spectateurs le savent bien sans que Térence le leur dise. Et „usque“ n'est pas clair. „Molendum usque“ veut-il dire qu'on moud sans interruption? c'est physiquement impossible, ou, si le sens est élastique, c'est sans intérêt. Faut-il entendre „usque in pistrino“? Ce serait appuyer sur une rare platitude. . . .

H. in eundem, quem saepius adnotavimus, incidit errorem, ut apud poetam comicum artissimum sententiarum connexum quaerat.

„Molendumst in pistrino“ certe servo gravissima poena est, quam ob rem fusius et ultra modum explicatur. Secundum legem logicam scilicet „usque“ in verba „habendas compedes“ melius quadraret. Havet versum hac forma constituta legit:

Molendum, vapulandum; habendae usque in pistrino compedes

Tali autem modo in versum optime traditum critica ratione non puto esse animadvertendum, praesertim cum rationes, quas H. vitii explicandi causa praebet, minime natura datae, neque ullo modo veri similes sunt: Initio versum esse omissum, tum falso loco insertum aut „usque in pistrino“ omissum, postea falso ad „molendum“ relatum esse, non ad „habendas compedes,“ quod rectum sit. Tali ratione, qualem Havet saepissime proferre amat, scilicet omnia explicare possumus.

266.

Hic in noxiast, ille ad defendendam causam adest.

Ita exhibet cod A. Quae lectio tradita cum metricis de causis teneri non possit, Dziatzko coniecturam Palmeri [2]) „dicendam“ pro „defendendam“ accepit. Quo loco Hauler [3]) optimam emendandi viam ingressus esse videtur. Cum DFEP (cf. et Pseudo-Ascon. in Cic Verrin. p. 212 „Hic in noxa est, hic ad defendendam causam adest“) „noxa“ praebeant, „in noxa“ scribere praestat. Pro „noxia“ facile „noxa“ poni potuit propter vim et scripturam simillimam. Noxia et noxa vocabula sententia maxime inter se coniuncta esse apte ostendit O. Heyus (Stud. semas. sect. V) „noxia-noxa“ in Nov. ann. vol. XVIII. suppl. 1892, p. 187. Legimus ergo:

Hic in noxast, ille ad defendundam causam adest.

Qua ratione versus difficultate metrica liberatur et lectionem traditam proxime sequitur. Coordinatione duarum enuntiationum non offendimur, cf. Kühner II., p. 756. Tamen Havet confirmat „hic in nox(i)ast n'offre pas

---

[1]) Ex. Ter. consuetudine, qua verbum auxiliare cum primo membro coniunctum etiam apud posteriora repetitur, non dici licet „molendumst“ solum. (Conf. Ad. 425: hoc salsumst, hoc adustumst, hoc lautumst parum; Ad. 474: ignotumst, tacitumst, creditumst, iurgu ex eo; Hec. 202: Viris esse advorsas aeque studiumst, similis pertinaciast.) Alia ex parte in brevi atque vigenti describendi ratione copula „esse“ omissa plane apte est (cf. v. 80: Noster mali nil quicquam primo), particulam autem „usque“, quae nequaquam ita frequentatur, insertam esse minime veri simile est. (cf. Hauler p. 201).

[2]) Gruteri fax critica IV. p. 851:
Hic in noxia est, ille ad dicendam causam adest:
Sic enim scribendum: quippe de iudicio loquitur et causae dictione.

[3]) Hauler, p. 200 ad h. v.: Ich behalte lieber die Ueberlieferung bei und ziehe ferner, da ĭlle als brevis brevians, wie es scheint, mit Recht bezweifelt wird, die Aufnahme von noxa der Konjektur Palmerius vor.

un sens clair, faute d'une conjonction telle que „si", „ubi" ou „cum". Haveti opinionem, qua vocabulum „causam" glossa putatur (cf. v. 225 ad defendundam noxiam) iam Dziatzko in medium protulit. H. hanc lectionem praefert: Hic in noxia sit, ille ad defendundam adsit. Sed, quod iam supra demonstravimus, tradita versus forma satis probabilis et recta est, quam ob rem talibus mutationibus opus non est, quamquam non negandum hoc modo versum fieri purum sententiamque magis perspicuam; non autem est versus Terenti sed Havetii.

293—295.

Mitto omnia
Do istuc „imprudens timuit adulescens", sino
„Tu servo's."

In versu 293 Bemb. exhibet „addo." Quod hoc vocabulo versus numerosior fit, omnes editores pro „addo" scripserunt „do", cum „addo" ex „do" per dittographiam scriptum facile explicari possit. H. addo dividit et „ac-do" legere vult, cuius partem priorem „ac" in fine versus antecedentis ponit. Qua ratione assyndeton illud optimum mitto-do-sino plane deletur et prava gravisque coniunctio fit. Cum nostra lectio facillima mutatione efficiatur et ultro optimam praebeat sententiam non opus est nova coniectura:

Mitto omnia ac
Do istuc, „imprudens, timuit." „Adulescens" sino,
Tu „servus".

Videmus divisionem et dispositionem verborum ab Havetio prolatam multo duriorem minusque veri similem esse quam lectionem ab Haulero probatam.

310

Antipho ubi nunc est? — Foris. —
Abi, Phaedria, eum require atque huc adduce. — Eo:
Recta via quidem illuc. — Nempe ad Pamphilam.

In versu 310 omnes codices „illuc" praebent. Quam vocem et Havet „indifférent au sens et au mètre" esse concedit. Tamen pro „illuc" ponere vult „ibo" per Donati scriptionem „illo". Quod sibi faciendum esse putat H., cum servata lectione tradita sententiae connexu difficultas efficiatur. Phaedria, inquit Havet, cavere debet, ne se scire demonstret, ubi Antipho moretur, id quod ex pronomine „illuc" intellegitur. Mihi autem non manifestum est, cur Phaedria hoc se scire non demonstret; ceterum plane fieri potest, ut Phaedria hoc dixerit patris placandi causa. Lectio codicis quidem omni ex parte clara et credibilis mihi videtur. Sin cum H. pro „illuc" legimus „ibo", nihil proficimus ‚cum' locutionem illam „recta via quidem ibo", quisquis audivit, certo genuina notione acceperit, dico notione certae directionis, vix, puto, quisquam cum. H. interpretatus sit: je vais courir après lui sans me détourner. Havetii coniectura, cum „illuc" omnibus libris traditum et praeterea lectio difficilior sit, ut arbitrio eius solo et studio, quo omnes locos ex sua sententia et ratione interpretatur, perfecta tota abicienda est.

333.

Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse.

In hoc versu H. contra lectionem omnibus codicibus servatam „alicunde“ ponere vult pro „aliunde,“ propterea quod „aliis“ cum „aliunde“ tota careat sententia. Sed „aliis aliunde est periclum“ declarat: aliis ex alio loco vel ex alia parte periclum est, unde aliquid abradi potest, mihi autem ex nulla parte periclum esse potest, quod sciunt mihi nihil esse. Accedit quod aliunde cum voce „aliis“ coniunctum saepius legimus: Naevius apud Festum p. 135: Simul alius aliunde rumitant inter se; Liv. 44, 12 alii aliunde coibant. Seneca, de brev. vit. 16 aliunde alio transfugiunt; Plin. 3. 3. 13 aliunde aliis exordium est.

Ceterum sententia non valde mutatur sive aliunde sive alicunde legimus. Sin H. dicit „alicunde“ cum „aliquid“ spectare un jeu de style, idem contendere possumus, si „aliunde — unde“ legimus. Quam ob rem lectionem „aliunde“ tenebimus.

342.

Dum tibi fit quod placeat, ille ringitur: tu rideas,
Prior bibas, prior decumbas; cena dubia apponitur . . .
Quid istuc verbi est?

„Ce texte suppose qu'on boit avant de se mettre à table. La difficulté disparaîtrait si on lisait, par exemple, „(quin) prior decumbas, car il y aurait gradation, et par conséquent le lecteur serait affranchi de toute préoccupation chronologique.“

H. in eundem incidit errorem, quem iam saepius animadvertimus, ut severas leges logicas in dictione poetica adhiberi velit. Identidem commemoravimus, quanta in vitia ii incurrunt, qui comoediam vel spectaculum ludicrum arte logica metiri volunt. Quamquam in hoc versu „prior bibas, prior decumbas“ legimus, tamen nullo modo postulatur, ut bibatur, priusquam decumbatur, immo Phormionem „bibas“ priore loco dicere puto, quod ei „bibere“ gravioris momenti esse videtur. Havetii coniecturam „prior bibas (quin) prior decumbas“, vel „prior bibas (edis) prior decumbas“ etiamsi versus sententia gradatione magis perspicua efficitur, ut supervacaneam neque necessariam non accipiemus.

373.

Dignum autem hoc illost. — Ain tandem, carcer? — Geta

Bentleius particula „tandem“ offenditur, quam cum vocabulo „tamen“ mutavit. Sed Hauler aptissime ostendisse videtur lectionem traditam omni ex parte tenendam esse. cf. p. 119 ed. eius ad hunc versum. „Tandem“ ea sententia praeditum saepius usurpatur, ut vehementiores animi affectus significet, cf. Andr. 492, 875, 894; „ain tandem“ nostro loco excepto etiam Andr. 875 invenitur. Havetii interpretatio „ain tandem est une locution qui se retrouve Andr. 875, et qui, sans doute, a été tirée précisément d'Andr. 875 par un reviseur antique“, nullo modo sufficit coniecturae confirmandae Havetii, qui pro particula „tandem“ ponit „tu“. Nam in versu 875 Andriae non id agitur „d'affirmer une proposition précise, sed „tandem“ usurpatur, ut gravior animi motus explicetur.

395.

. . . primus esses memoriter
Progeniem vestram usque ab avo atque atavo proferens.

Argumentis minime sufficientibus H. versum ita mutare vult:
Prosapiam usque ab abavo atque atavo proferens.

Sed iam argumenta ab hoc viro docto prolata accuratius perquiram. 1. Havet putat „avo" corruptum esse ex „abavo" propterea „quand on veut exposer une parenté entre cousins, remonter á l'„avus" est un minimum". At contra dicendum est substantivum „avus" hoc loco plane accomodatum esse, nam Phormio dicit: Si talentum rem reliquisset decem, omnem progeniem usque (=deinceps) proferres ab avo et ab atavo, vel ab avo proferres usque ad atavum. Avum enim Demipho potius cognoverit quam abavum itaque avum primo loco nominavit.

2. H. iudicat „vestram" esse vocem ambiguam, cum et „tuos et tuorum consanguineos" significet et „tuos et Stilponis consanguineos"; „vestra" autem omnino non nos dubitantes facit, sed notionem habet „communis vestra stirps".

3. Havet dicit „progeniem" falso sumptam esse, cum hoc uno loco „progenies" notione concreta „les ascendants" usurpetur. Nos quidem non commovemur, ut hoc verbum ibi concreta notione adhibitum esse putemus. Nonne simplicius est ei ut abstracto sententiam familiae vel gentis supponere. Cf. Cic. Tusc. I. 12: Antiquitas quo propius aberat ab ortu et clivina progenie, hoc melius. Cic. de re publ. II. 12: Nostri illi etiam tum agrestes viderunt, virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quaeri oportere; de re publ. II. 24: Ut a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordiar. Verg. Aen. I. 19: Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci.

Si apud Terentium neque progenies neque prosapia iterum legitur, quo iure vocem „progenies" libris traditam verbo „prosapia" nobis postponere licet? An quod „prosapia" in Plauti comoediis semel invenitur?

Havet locutionem „ab avo atque atavo" mutare vult in „ab abavo atque atavo"; hac re metricae exoriuntur difficultates, cum duas syllabas in hoc versu habeamus supervacaneas. Cui rei sanandae H. pro leviore sua emendandi ratione facile invenit consilium: pronomen „vestram" est verbum suppletum ab interpolatore ob eamque rem eiciendum. Suppletum autem hoc verbum Havetio esse videtur, quod omnes libri „vestram" praebent, non „vostram"! Quae causa nobis non sufficiet, cum antiqui in recta scribendi ratione non tam severas leges secuti sint atque nos. Jam Terenti aetate pro syllaba „vo", quam litterae r, s, t sequuntur, syllaba „ve" scripta videtur. (Confer Hauler [3] p. 57 seqq.)

Quibus causis commoti lectionem traditam servabimus.

397.

393 At si talentum rem reliquisset decem. . . .
396 Ita ut dicis! Ego tum, quom advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face
Cedo, qui est cognata?

Hoc in versu H. verba „cognata ea" in unum verbum „cognatio" contraxit, cum Demiphonti propinquitas cum consanguineo mortuo probanda sit. Mihi quidem sententia loci alio spectare videtur. Imprimis enim id agitur, ut propinquitas puellae declaretur, quam solam Demipho cogitat. Quam ob rem genere feminino utitur „cognata", non cognatus, quod per se legem logicam magis exprimeret. Sed iam iterum atque saepius falsam Havetii sententiam adnotavi, qua nimis vehementer et iniuria Terentio tribuerit rationem logicam.

418.

416 . . . . proxumo iussast dari, ...
418 Ita, proxumo quidem; at nos unde? aut quam ob rem? — Ohe,
Actum aiunt ne agas.

In hoc versu sententia tota absoluta est: At nos unde proximi sumus? aut quam ob rem proxumi sumus? Quem versum Havet quoque ita interpretatur. Quamquam doctissimus ille vir fieri posse non negat, ut verbo „ohe" in versu sequente Demiphontis interrogatio „quam ob rem" intercipiatur ideoque haec interrogatio non perfecta et ad finem perducta sit, quibus de causis interpellationem punctis indicandum esse oporteat. Quae res, quamquam fieri potest, ut accipiatur, tamen certe diiudicanda non est.

426.

425 . . . . ipsum prohibebo domo.
Iratus est. — Tu te idem melius feceris. —
Itane es paratus facere me advorsum omnia.

Hoc loco H. cum Dziatzkone et Haulero pronomen „idem" recte interpretatur neutrum, sed abhorret ab Hauleri interpretatione, qui dupplici ratione „te" explicat (abl. et acc.), cum dicit post verba „tu te idem" verbum finitum „prohibeto" esse supplendum et „melius feceris" enuntiatum in se absolutum et perfectum.

Si porro codices A et D^2 sequamur, qui vocabula „iratus est" eidem Phormioni dant-quae verba Phormio seorsum Getae dicit-hanc habeat versus formam:

Ph. Iratus est. — Tu te idem — melius feceris.

Quod „prohibeto" omissum est, plane concitatae orationi accommodatum est. Cf. similes formas omissas Phorm. 152: Puer, heus. — Nemon hoc prodit? — Cape, da hoc Dorcio. In quo versu „prodi" non facile ex sequ. „prodit" suppletur, quam „arcessito" in versu 440: Si quid opus fuerit, heus, domo me. Cf. Phorm. 80: Noster mali nil quicquam primo; 113: Illa enim se negat. Hoc quidem loco H. rectam invenisse videtur emendationem.

430.

Ferundum fers? Tuis dignum factis feceris.

Cod. Bemb. exhibet „feres", ceteri „feras". Sed cum neutrum metricis de causis versui aptum sit, iam Faernus [1]) coniecturam „fers" proposuit, quam adhuc omnes editores receperunt.

Havet putat „feres" cod. Bemb. usque esse tenendum, qua re probata aliud verbum eici necesse esse. Quod verbum H. facile repertum considerans in codicibus D G scriptum esse „factis dignum", aliis autem libris „dignum factis" putat esse dignum, quod a numero versus abhorreat. Cui accommodatum esse monnsyllabum adiectivum „par". Qua ratione talem legit versum Havet:

---

[1]) Faernus: (apud Bentleium p. 474.) Liber Bembinus habet feres: Ubaldinus Bandinellus legebat fer; nos fers, ut sit, quin fers, quod est ferundum? nam et Donatus, haec per praesens tempus exponit, sic dicens „cur non inquit accommodas necessitati voluntatem": haec ille. Ita procedit versus, aliter impeditus: quae vero sequuntur, et ille ipse antiquissimus liber, et Vaticanus et Basilicanus, et aliqui alii ita collocant: **tuis dignum factis feceris.**

Ferundum fĕrĕs: tuis par factis feceris.

In quo versu „feres“ brevibus syllabis metiendum est. Quod apud Terentium medio in versu nusquam nobis incurrit, id, quod H. ipse concedit. „Par“ autem coniectura est ex Havetii solius sententia educta, quae omnino critica confirmata ratione eget, quam iure abicere debemus.

484—487.

Phaedria tibi adest. — Ubinam? — Eccum ab sua palaestra exit foras.
485—486 Dorio, audi, obsecro. — Non audio. — Parumper. — Quin omitte me.
Audi, quod dicam. — At enim taedet iam audire eadem miliens.

Verbum „parumper“ H. putat esse initium enuntiati, quod a Dorione, homine impatientissimo, interpellatur. Quod et mea ex opinione fieri potest. Minus veri simile autem mihi videtur in locutione „quod dicam“.

Nam mihi non est perspicuum, cur non liceat dici „audi, quod dicam;“ et ceteram formam versus ab Haulero et iam ante ab Umpf. receptam teneo. „Exit foras“ hoc loco non necesse est notionem habere Phaedriam e domo egredientem aspici, sed cum locutione „ab palaestra“ coniunctum significat „venit ab palaestra,“ [1]) id est; directio ab aliquo loco significatur. Quam ob rem nobis non licet verba „exit foras“ eicere eorumque loco verba „Dorio audi“ recipere.

492.

Ei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti . . . — Idem ego vereor.
Non(dum) mihi credis? — Hariolare. — Sin fidem do? — Fabulae

Jn hoc versu cum codex A exhibeat „nondum“, ceteri libri praebent „non“, quod verbum tenebimus, cum particulam „dum“ facile ut glossam in codicem A irrepere potuisse putemus. (cf. Hauler p. 205 ad. v. 491). Sententia verborum „non mihi credis“ tam perlucida mihi videtur, ut animum non perducere possim, ut „non“ eiciam et „dum“ recipiam. Eodem modo non intellegendum est, cur particula „sin“ hoc loco rara notione „si non“ usurpata sit. Sed et hoc loco animadvertimus, qua violentia atque vi Havetius in versibus critice tractandis egerit, ut leges suas ab ipso constitutas rhythmicas in poeta persequatur, quae ab ipsius poetae sententia alienae sunt.

496.

Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu . . . — Garri modo.

Versus 496 nobis iterum praebet exemplum Havetianae nimis subtilis in numerorum compositione postulanda rationis. Nulla nobis causa est, cur a lectione libris tradita recedamus neque cum Bentleio [2]) „mihi“ eiciemus neque coniecturam Havetii accipiemus, qui, ut figuram gradationis efficiat, verborum ordinem ita mutavit:

Tu mihi cognatus, tu amicus, tu parens . . . — Garri modo.

---

[1]) Palaestra hoc in versu domus intellegitur, in qua continuo amor exerceretur Ita Eun. 313:

Haud similis virgost virginum nostrarum, quas matres student
Demissis umeris esse, vincto pectore, ut gracilae sient.

Plautus Bacchid. 65—66:

. . . . adulescens homo
Penetrem me huius modi in palaestram, ubi damnis desudascitur?

[2]) Bentl. in ed. sua p. 480: . . . iam enim ex trochaicis nulla rerum mutatione iambicus hic fit: Tu mihi cognatus. Tolle „mihi“ et rescribe:

Tu cognatus, tu parens, tu amicus, tu. Garri modo.

Omnino autem non veri simile est Phaedriam, qui maxime anxius est, ne amatam amittat, re vera oratione arte composita loqui, immo sollicitus est et multis cum precibus Dorionem exorat, ut consilio absistat.

In totam orationem optime etiam quadrat ultimum verbum „tu“; nam Phaedria multis verbis blandientibus Phormionem nullo ordine adulatur atque nomina, quae ei praesto sunt, deinceps profert. Dorio autem maxime festinat et Phaedriam interpellat; quam ob rem Havetii coniectura nullo modo probanda est, nisi forte omnem cognitionem atque peritiam naturae hominum mimique Terentio affuisse putamus.

499.

Adeon ingenio esse duro te atque inexorabili,
Ut neque misericordia neque precibus molliri queas!
499 Adeon te esse incogitantem atque inpudentem, Phaedria,
Ut phaleratis ducas dictis me et meam ductes gratiis!

Ex eo, quod v. 497 et v. 498 respondent versibus 499 et 500 et quod propter vocativum „Phaedria“ in v. 499 posito fortasse in versu 497 similis vocativus „Dorio“ expectandus est, H. vocabulum Phaedriam in versu 499 in dubitationem vocat et eius loco conicit „id postulas.“ Quae quamquam negare non possumus satis claram sententiam atque responsionem efficere, tamen omnino non habemus, cur a communi omnium librorum lectione recedamus, quae per se nullam corruptionem ostendit, praesertim cum H. coniecturam suam non nisi his verbis probat: Je restitue, — à titre d'exemple, pas davantage: . . . id postulas.

501.

Ei veris vincor.

In hoc versu cum Skutschio et Haulero lectionem traditam „veris“ recipiemus, quod non habemus, cur Havetii coniecturam „verus; vincor“, praeferamus. „Verbis“ autem quasi glossa vocabuli „veris“ intellegendum est.

Haulerus in adn. ad. v. 501 optime demonstrat, vocabulum „veris“ cum „dictis“ vel „verbis“ ellipsi imprimis in sermone cotidiano satis usitata omittitur, coniunctum esse cum praecedente „phaleratis dictis“, sicut simili ratione Terentius usurpat „multis“ (Andr. 114), saepe „paucis“ (Andr. 29, 45, 345, 536, Eun. 338), Hec 510 audi paucis, Eun. 1067 audite paucis; Plaut. Mil. 374: paucis verbis te volo; Trin. 963: te tribus verbis volo.

505.

O fortunatissume Antipho! — Egone? — Quoi quod amas domist,
Neque cum huius modi umquam usus venit ut conflictares malo.

Hoc quoque loco H. legem severae rationis criticae violat, qua lectio difficilior usque tenenda sit, dum aliquam sententiam praebeat probabilem. H. autem triplici modo in hunc versum animadvertit cum scribit:

Neque huius modi tibi usus venit *unquam* ut *conflicteris* malo.

Sine ulla causa praepositionem „cum“ omittit, quod persona tantum cum illa praepositione copuletur; verbum „venit“ praesens putat, quod minime fieri oportet, qua de causa etiam „conflictares“ in „conflicteris“ mutare cogitur.

De activa forma „conflictares“ non magis dubitari licet, quam de activa forma verbi „obsonandi“ (Ad. 117), qua Terentius eodem modo utitur atque passiva „obsonari“ in Andr. v. 451.

515—518.

Ph. Si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies.
Do. Optundis. An. Haud longumst (id) quod orat: Dorio, exoret sine.
Idem hic tibi, quod boni promeritus fueris, conduplicaverit.
Do. Verba istaec sunt. An. Pamphilamne hac urbe privari sines?
Tum praeterea horunc amorem distrahi poterin pati?

In versu 515 variae exstant lectiones: „optundis“ exhibet codex A, ceteri praebent „obtunde“. Nos quidem cum Haulero [1]) et Leone [2]) lectionem optimi codicis A recipiemus: optundis. Quae vox apud Terentium etiam in Andr. v. 348 occurrit: optundis, tam etsi intellego? ita in Haut. v. 879: Ohe, desiste inquam deos, uxor, gratulando obtundere. Ad. 113: Ausculta, ne me optundas de hac re saepius. Eun. 554: Qui me sequatur quoquo eam, rogitando optundat, enicet.

Quod versus 515, si pronomen „id“ recipimus, numerosius fit, iam Bentleius „id“ omisit, qui vir etiam pro „optundis“ coniecit „optume“. Alii viri docti scribunt „longum (st) id quod“, alii „longumst (id) quod“ (cf. Hauler[3] p. 206 ad hunc. v.). Havetius putat pro „id“ primo „An.“(tipho) scriptum fuisse et „haud longumst“ Phaedriam dixisse:

Do. optunde. Ph. Haud longumst. An. Quod orat, Dorio, exoret sine.

Potius autem, quam Hauler praebet versus formam, recipiam, quod Havetii emendatio nimis artificiosa et ex arbitrio elicita mihi esse videtur.

526—530.

Ph. Dorio,
Itane tandem facere oportet? Do. Sic sum: si placeo, utere.
An. Sic hunc decipis! Do. Immo enim vero, Antipho, hic me decipit:
Nam hic me huius modi scibat esse, ego hunc esse aliter credidi;
Iste me fefellit; ego isti nihilo sum aliter ac fui.

„Le dialogue est brouillé ici comme plus haut. Est-ce l'amoureux Phédria qui peut adresser au „leno“ une morale si abstraite, „itane tandem facere oportet?“ Ce langage convient à son cousin, non à lui, qui peut supplier ou injurier, mais non affecter le langage de la froide raison. Je remplace donc la sigle de „Ph.“ par celle d'„An“. C'est ce qu'avait fait avant moi un correcteur du Bembinus. Cela rend intelligible la réplique du „leno“. Il dit „si placeo utere“ à un client éventuel, non au client de fait avec qui, justement, il est en train de rompre.“ (Havet p. 307). In codice Bembino scriptum videmus Γ DORIO (A supra Γ). Mihi quidem haec Havetii explicatio satis probabilis esse videtur, quam ob rem cum illo viro docto verba „Dorio. Itane tandem facere oportet?“ in v. 527 ab Antiphone dicta esse putem.

Versum 528 H. sic emendavit:

. . . sic(ine) hunc „decipere“ — Immo enimvero, Antipho, hic me decipit

[1]) Hauler[3] in ed. s. p. 132 et p. 206.
[2]) Leo, Quaestiones Plautinae, p. 273.

Quam coniecturam, qua H. in hoc versu pro „decipis“ scribit „decipere“ quamvis ingenuosa sit, haud recipiam, cum lectio „decipis“ optimis plerisque codicibus servata graviore deficiente causa abicienda non sit.

Neque Havetio assentiar, qui ob eam solam causam, quod versus 530 coniunctione careat, hunc versum non a Terentio scriptum, sed ab aliquo adnotatum posteaque in textum irrepsisse confirmet. Quod Dorio, vehementior et iratus, iam non connexum sententiarum et enuntiationum per coniunctiones secundum leges syntacticas facit, mihi quidem plane probabile et ex psychologica ratione facile explicari posse videtur.

540—542.

Quid faciam? An. Invenias argentum. Ge. Cupio; sed id unde, edoce.
An. Pater adest hic. Ge. Scio; sed quid tum? An. Ah, dictum sapienti sat est.
Ge. Itane? An. Ita. Ge. Sane hercle pulchre suades: etiam tu hinc abis?

In versu 540 Havet praefert lectionem codicis E.

In codice Bembino scriptum videmus: SED^id^UNDE; „id“ addidit corrector. Plurimi editores hanc versus structuram, quam aliique etiam codices praebent, receperunt. Contra H. lectionem codicis E secutus scribere vult: „Cupio, sed unde? id edoce.“ Quod nos autem semper lectionem codicis melioris recipimus, et in hoc versu legemus: „Cupio, sed id unde, edoce.“

Omnino nihil autem habemus, quod versum 542 sine ulla varietate omnibus codicibus traditum emendemus, quare Havetii versum:

Jtane? — Ita. — Ita sane? hercle pulchre suades . . , reiciemus, quamquam palaeographica ratione facile fieri potuit, ut illud „ita“ omitteretur.

561.

Praestost: audacissume oneris quidvis inpone: hic feret.

Havet legit:

Praestost: audacissume oneris quod vis impone: id feret.

In codice A „hic“ addidit corrector: BCDEFP praebent „et feret“, G & ferr &; Gulielmus coniecit ecferet. Quod ad stilum, ad rationem metricam, ad sententiam pertinet, „hic“ optime congruit neque dubitamus cum Haulero hoc pronomen recipere.

609.

Adibo(hosce): o(h) salve, noster Chreme! Ch. Salve, Geta!

Havet legit:

Adibo hosce. O te, noster Chremes . . . — Salve, Geta.

Coniectura Havetii hic versus nihilo melior fit, cum etiam tum una syllaba supervacanea sit; multo simplicior et facilior et rectior emendatio Hauleri videtur, qua pronomen hosce, quod fortasse tamquam glossa vel explicatio in textum inductum est, omittitur.

648.

Ut ad pauca redeam ac mittam illius ineptias,
Haec denique eius fuit postrema oratio.

Havet legit:

Ut ad pauca redeam ac mittam illas ineptias.

Quam coniecturam H. utique ad suam voluptatem atque arbitrium explendum excogitavit; quamquam concedere nos oportet in sententiam optime quadrare eam et aliquam elocutionis asperitatem tollere, tamen nulla nos cogit causa lectionem paene omnibus libris traditam mutare, nam „eius," quod codicibus D et G traditur, facillime ex pronomine „eius" versus sequentis in versum antecedentem transferri potuit. Immo etiam illud non intellegendum est, cur poeta pronomina „ille" et „is" tam diversa et plane alia ratione adhibuerit. Nam saepe etiam eadem persona et „ille" et „is" nominatur. Ceterum cum graviores causae nobis non praesto sint, Havetii emendationem non sequemur.

664.

Nimiumst. Ch. Ne clama: (re)petito hasce a me decem.

Havet legit:

Nimiumst. — Ne clama: petito tu hasce a me decem.

Quae coniectura Havetii exemplum emendationis est, quae alia alii editores in medium protulerunt, sicut „repetito" Fleckeisenus et Dziatzko, Bentleius „illas:ce", Skutschius „istas ce." Haud quisquam discernere possit, quatenus una quaeque emendatio rectam et genuinam Terentii coniecturam nobis servaverit. Statuendum autem est novam Havetii coniecturam non minus in sententiam quadrare quam alias a viris doctis prolatas.

